

THEODORVS.

ITaque de Tiberio in primis libera cō-
iectura Theodori, eoque mirabilior, &
ante cōcepta apertius expressa est: Hic e-
nim, tunc Rhetoricæ magister, Tiberium
puerum perspicaciter intuitus, quotiens
obiurgare eum vellet, non nisi Lutum à
sanguine maceratū, vocitabat, satis pro-
priè, etiam si post morum suorum expe-
rimenta, & Imperij facinora dicerentur:
Quibus enim verbis, vel accommodatius
vel breuius, post annum septuagesimum
illud loquens, segnē ac fœdam & cruen-
tam hominis naturam, ac præsentis actus
effigiare potuisset, quàm senis mores ex
puerilibus iudiciis designauit.

TIBERIVS IMP.

AGe quàm euidentis ipsius Tiberij de
C. Caligula successore prouidentia:
habebat eum supra fidem, non tantum
sibi obsequentem, sed suis omnibus nihil
indignantem, omnia etiam aspera & gra-
uia & æquanimiter tolerantem, vsque a-
deò, vt principatus actibus primæuo ob-
sequio collatis, res in prouerbum versa
sit: Nullus seruus Caio melior, nullus
peior Dominus: Et tamen interdum di-
cere solebat: Illum suo, & omnium exitio
vivere,